

ADNOTATIO XXVII.

Lib. V. Decretal. Tit. XVI, § III, n. 91,
pag. 404.

DE ADULTERIO ET DE LENOCINIO.

Constitutio Sixti V, *Ad compescendum*, 30 octobris 1586, tantum pro Urbe lata, inter alias pœnas a sacris canonibus inflictas, addidit pœnam ultimi supplicii tam in adulteros et adulteras quam in lenones et lenas. Cf. Giraldu, *Exposit. jur. pontif.* part. I, sect. 836.

ADNOTATIO XXVIII.

Lib. V. Decretal. Tit. XVI, § III, n. 92, pag. 404.

DE CLERICIS SOLLICITANTIBUS.

Legantur constitutiones Benedicti XIV, *Sacramentum poenitentiae*, 1 jun. 1741, et *Apostolici*, 8 februar. 1743; et, pro majori in praxi prædictarum constitutionum intellectu, regulæ ad cognoscendum qui denuntiandi sint, quas ob causas, quando, et qua ratione denuntiare oporteat; quæ regulæ, prout ad singulas earumdem constitutionum partes exaratae fuerunt a Philippo de Carboneano, in ejus *Addition. ad Theolog. moral. P. Antoine*, edit. Rom. 1757, part. II. Illud opus prædicti Philippi ad longum inseritur a Giraldo, *Exposit. jur. pontif.* part. I, sect. 809; qui notat omnes constitutiones, editas contra sollicitantes in confessione, in singulas nationes universim vires suas extendere, ac Latinos æque ac Græcos sua amplitudine comprehendere, uti declaravit idem Benedictus XIV, const. *Etsi pastoralis* 26 maii 1742, § IX, n. 5.

Attendendum ad decretum S. C. Sancti Officii, diei 21 februar. 1630, ex quo illi, qui in partibus schismaticorum, hæreticorum et mahumetanorum degunt, licet subjecti sint constitutionibus contra sollicitantes, tamen in iis locorum circumstantiis, in quibus nulla spes adsit punitionis denuntiati, atque mulieres sine periculo et infamia denuntiare nequeant, denuntios vero facile pœnam declinare posse credatur, recurrendo vel ad episcopos schismaticos vel ad laicos iudices infideles, absolvendi sunt et liberandi ab huiusmodi onere denuntiandi; moneri tamen debent ut « cessantibus supranarratis periculis et impedimentis, teneantur denuntiare. » Item ad decretum ejusdem congregationis respondentis, die 22 januar. 1727, dubiis propositis a P. Carolo Josepho Spedia, præfecto missionum in America, ubi declaratur mulieres sollicitatas non teneri ad denuntiationem, si ministri inquisitionis et vicarii episcopi, in longinquis regionibus degentes, sine gravi incommodo adiri nequeant; sed observanda sunt quæ a decreto 21 februar. 1630 præscribuntur.

Legendæ sunt etiam apud Giraldu, loco ci-

tate, variæ instructiones circa denuntiationes faciendas et respective recipiendas in materia sollicitationis, prout referuntur in Appendice Synodi diocesanæ Civitatis Castellanae, celebratae anno 1753, quarum summaria tantum hic subjungi possunt, scilicet:

« I. Istruzione della S. C. del Santo Offizio per le denunzie de' penitenti sollecitati nella confessione, senza manifestare il proprio consenso. » Roma li 27 settembre 1624.

« II. Istruzione nella materia delle denunzie di sollecitazione de' confessori per la custodia del sigillo sacramentale. Roma, 23 marzo 1726.

« III. Istruzione quando e come si possano delegare li sacerdoti confessori per ricevere le denunzie nelle materie spettanti al Santo Offizio, senza notaro. Roma, 7 luglio 1725 et 14 luglio 1733.

« IV. Metodo di ricevere le denunzie da sacerdoti confessori, specialmente però delegati in materia di sollecitazione senza notaro. »

Die autem 20 februarii 1867, sacra congregatio Sancti Officii novam instructionem ad omnes archiepiscopos et episcopos direxit circa constitutionem Benedicti XIV, *Sacramentum poenitentiae*, præmio et articulis sexdecim constantem; cui subnexus est « modus quo recipi debent denuntiationes, in re ad sollicitationem spectante, ab iis qui ad denuntiationem aliquam absque interventu notarii recipiendam delegantur. » Quorum omnium tenor sequitur:

« Quæ Supremus Pontifex gl. mem. Benedictus XIV in constitutione, die prima junii anno 1741 edita, cujus initium est *Sacramentum poenitentiae*, confirmavit ac decrevit, ea ad hæc quatuor maxime capita reducuntur. In primis, quemadmodum jam antea sancitum fuerat præsertim a Gregorio XV, constitutione quæ sub die 30 augusti anno 1622 data incipit *Universi*, omnes locorum Ordinarii æque ac Inquisitores deputantur iudices ad inquirendum et procedendum et condignis penis animadvertendum contra sollicitantes ad turpia in confessione, quamvis ab ordinaria jurisdictione quomodolibet exemptos. Itidem omnes sacerdotes ad audiendas sacras confessiones constituti, sicut antea quoque præscriptum erat, obligantur monere suos poenitentes ut sollicitantes huiusmodi, quamprimum poterunt, Inquisitoribus aut locorum Ordinariis deferant; eosdemque poenitentes non absolvere, qui huic adimplendo muneri parere recusent. Præterea tertio loco Apostolicæ Sedi reservatur, excepto mortis articulo, eorum casus qui innocios sacerdotes apud ecclesiasticos iudices falso sollicitationis insimulant, vel scelestè procurant ut id ab aliis fiat. Quarto denique sacerdoti cuilibet omnis facultas et jurisdictio ad sacramentales confessiones personæ complicis in peccato turpi contra sextum Decalogi præceptum commissio excipiendas admittitur, nisi extrema prorsus urgeat necessitas; nimirum si in ipsius mortis articulo alter sacerdos desit, qui confessarii munere fun-

gatur, vel sine gravi aliqua exortura infamia vel scandalo vocari aut accedere nequeat (Const. ejusdem S. P. Bened. XIV *Apostolici muneris*, die 8 febr. 1743). Et Apostolicæ Sedi reservatur eorum confessoriorum casus, qui complicem in peccato turpi absolvere ausi fuerint.

« Nullum sane dubium est, quin hæc præscriptiones, prohibitiones, reservationes omnes et singulæ in cunctas nationes universim vires suas extendant, et ubique terrarum inconcusse ac inviolabiliter observandæ sint. Quod quidem vel legenti Gregorii XV et Benedicti XIV constitutiones evidentissime patet; et id ipsum consequentium Pontificum suffragio, prout se dedit occasio, ad hanc usque diem confirmatum est. Et re quidem vera vicario Apostolico Cocincinae sciscitanti: 1. *An constitutio Benedicti XIV adversus sollicitantes obliget etiam missionarios franciscanos, qui ministerium exercent in Cocincina?* 2. *An eadem constitutio restringi possit ac moderari in aliquo casu ob magnam confessoriorum penuriam in eodem regno Cocincinae?* — Jussu Pii VI, anno 1775, opportuna instructione responsum fuit: *ad 1, affirmative; ad 2, negative.* Et proxime Sanctissimus D. N. Pius Papa IX decreto hujus supremæ Inquisitionis sub feria IV, die 27 junii anno 1866, edixit, *in facultatibus quibus episcopi alique locorum ordinarii ex concessione Apostolica pollebent absolvendi ab omnibus casibus apostolicæ Sedi reservatis excipiendos semper in posterum, et exceptos habendos esse casus reservatos in bulla Benedicti XIV quæ incipit: Sacramentum poenitentiae.* Hoc decretum vero omnibus ubique terrarum ordinariis prædicta absolventi facultate donatis absque ulla exceptione significandum mandavit.

« Quamobrem omnibus locorum ordinariis euitendum summopere est, ne eorum vigor, quæ in prædicta Constitutione salubriter providentur, paulatim uspiam elanguat. At Eminentissimi PP. cardinales supremi Inquisitores nuper cognoverunt, eandem constitutionem non ubique, sicuti par esset, executioni tradi, atque in aliquibus locis nonnullos tum in denuntiationis onere adimplendo, tum in iudicio contra sollicitantes instituendo, irrepsisse abusos, qui sine iustitiæ ac providæ severitatis discrimine tolerari minime possunt. Itaque neque inopportunum neque ipsis locorum ordinariis ingratum fore judicant, si quæ contra eosdem abusos ab hac suprema Congregatione ad tramites sacrorum canonum decreta fuerunt, in unum collecta præ oculis habeantur. Ad quem effectum præsentem instructionem edi mandarunt.

« 1. Personæ sive mares sive femina, quæcumque illæ sint, et ad turpia sollicitatæ in confessione vel occasione aut prætextu confessionis, quemadmodum enucleate in memorata constitutione præcipitur, rem ad Sanctam Sedem vel ad loci ordinariarum deferre debent.

« 2. Denuntiare oportet quemcumque sacerdotem etiam jurisdictione carentem, sollicitantem in confessione, vel etiam poenitentis sollicitationi con-

sentientem, quamvis statim dissentientem de turpi materia loqui, illius complementum ad aliud tempus differentem, et non præsentem absolutionem poenitenti. (Ex declar. diei 11 febr. 1661 confirmata in constitut. *Sacramentum poenitentiae.*)

« 3. Huiusmodi denuntiationes a nemine absque culpa lethali omitti possunt. Qua de re poenitentes debent admoneri, neque ab iis admonendis instruendis eorum bona fides excusat.

« 4. Sacerdotes ad sacras audiendas confessiones constituti, qui de hac obligatione poenitentes suos non admonent, debent puniri. (Ex declar. datis sub diebus 20 martii 1624, 1 octobris 1626, penes Albit. *De inconstancia in fide*, cap. xxxv, n. 17.)

« 5. Poenitentes admoniti et omnino renuentes nequeunt absolvi: qui vero ob justam causam denuntiationem differre debent, eamque, quo citius poterunt, faciendam spondent serioque promittunt, possunt absolvi.

« 6. Denuntiationes anonymæ contra sollicitantes ad turpia nullam vim habent: denuntiationes enim fieri debent in iudicio, nempe coram episcopo ejusve delegato cum interventu ecclesiastici viri, qui notarii partes teneat, et cum juramento et cum expressione et subscriptione sui nominis, nec sufficit si fiat per apochas vel per litteras sine nomine et cognomine auctoris (Albit. loc. cit., n. 21). Cæterum prohibetur ne in recipiendis denuntiantibus præter iudicem et notarium, virum utrumque ecclesiasticum, speciali et scripto exarata episcopi deputatione munitum, testes intersint. Cavendum quoque ne ex denuntiantibus quæratum num sollicitationi consenserint: et convenientissimum foret, si de huiusmodi consensu quantumvis sponte manifestato nihil notetur in tabulis. (Ex declar. Urbani VIII sub fer. IV, die 17 aprilis 1624.)

« 7. Denuntiationis onus est personale et ab ipsa persona sollicitata adimplendum. Verum si gravissimis difficultatibus impediatur quominus hoc perficere ipsa possit, tunc vel per se, vel per epistolam, vel per aliam personam sibi benevisam, suum adeat ordinarium vel Sanctam Sedem per sacram Poenitentiarum, vel etiam per hanc supremam Inquisitionem, expositis omnibus circumstantiis et deinde se gerat juxta instructionem quam erit acceptura. Si vero necessitas urgeat, se gerat juxta consilia et monita sui confessarii. Ast, si nullo impedimento detenta, denuntiationem omnino renuat, in hoc casu aliisque supra memoratis, laudandus est confessarius, qui operam suam poenitenti non denegaverit, et vel ordinarium vel Sanctam Sedem pro opportunis providentiis consuluerit, suppresso tamen poenitentis nomine. Formulas autem hisce in casibus adhibendas tradunt probati auctores, quos inter Pignatelli, t. I, consult. 104, Carena, Albitios, etc.

« 8. Non infrequenter occurrit casus ut confessarius abusive ecclesiasticus vir ab episcopis (quorum utique hæc potestas est) deputetur ad denuntiationes recipiendas in re ad sollicitationis crimina

spectante, absque interventu notarii. Huic instructioni folium adjicitur circa modum, quo hisce in casibus confici denuntiatio debet. Qui enim ad hoc gravissimum munus viri maxime idonei destinantur, de actu denuntiationis judiciaria ratione assumendo instrui debent ac moneri, ut statim, a recepta denuntiatione, eam continuo ad ipsum episcopum a quo fuerunt deputati caute transmittant, neque confecti actus exemplum vel vestigium aliquod sibi retineant. Atque in hunc fere modum haud difficulter denuntiandi manus adimpletur. Profecto a locorum ordinariis efficiendum est ne ad loca suæ jurisdictioni subjecta applicare oporteat quod pro missionibus Pernambuci in America, die 22 januarii anno 1627, declaratum fuit: *Mulieres videlicet sollicitas non teneri ad denuntiationem, si ministri Inquisitionis et vicarii episcopi in longinquis regionibus degentes sine gravi incommodo adiri nequeant.*

» 9. Si in denuntiationibus, quod non raro contingit, aliæ indicantur personæ forte pariter sollicitatæ, vel quæ de hoc crimine testimonium ferre aliqua ratione possint, hæ quoque omnes et serissimæ judiciaria forma superius enuntiata examinandæ sunt: et primo per generalia, deinde per gradus, quoad ita res ferat, ad particularia deveniendo interrogari debent, utrum et quomodo revera fuerint ipsæ sollicitatæ vel alias personas fuisse sollicitatas viderint vel audierint.

» 10. Accepta denuntiatione, non illico proceditur, sed a superiore ecclesiastico inquiri sedulo debet utrum persona denuntians sit fide digna. Sollicitationis crimen ut plurimum secrete perpetratur; hinc privilegium est ut in causis, quæ contra hoc crimen instituuntur, ad plenam probationem faciendam attestations etiam singulares admittantur. At in memoratis Summorum Pontificum constitutionibus præscribitur ne cum testibus singularibus procedatur, nisi præsumptiones, indicia et alia adminicula concurrant. Pondus igitur cujusque denuntiationis, qualitates et circumstantiæ serio accurateque perpendendæ sunt, et antequam contra denuntiatum procedatur, perspectum exploratumque judicium esse debet quod mulieres vel viri denuntiantes sint boni nominis, neque ad accusandum vel inimicitia vel alio humano affectu adducantur. Oportet enim ut testes hujusmodi singulares ab omnibus privatis affectionibus sint immunes, ut ipsi integra fides haberi possit. (Ex instruct. jussu Pii VI anno 1775 ad Vicar. Apost. Cocincinæ data.)

» 11. Ea est hujus supremæ Inquisitionis consuetudo, ut post unam alteramve denuntiationem rescribatur quod denunciatus observetur, ita videlicet super delato crimine suspectus habeatur, ut quum primum per novas denuntiationes res explorata erit, in judicium vocandus sit. Ut plurimum non nisi a tertia denuntiatione procedi solet. Ad formale examen vocantur parochi vel probatæ fidei spectatæque virtutis viri præsertim ecclesiastici, qui, cum juramento de veritate dicenda et de

secreto servando, super qualitatibus denuntiantium et denunciati, et super mutuis eorum odiis et inimicitias examinentur. Hisce peractis diligentibus, reus in judicium adducitur, et coram iudice cum interventu ecclesiastici viri, qui notarii partes agat, super singulis cujusque denuntiationis et examinis adjunctis juramento dicendæ veritatis obstrictus respondere debet. Caveatur solertissime ne denuntiantium nomina reo manifestentur, et ne sacramentale sigillum quoquomodo violetur.

» 12. Quando perspecta evaserit patrati criminis veritas, reo ad defensionem, prout jura exposcunt, admissa, deveniendum erit ad illi interdicendum in perpetuum ne confessiones excipiat, subtrahendo omnes et quascumque facultates ad id muneris eidem etiam per quodcumque privilegium vel ab ipsa Sancta Sede impertitas. Hujusmodi sententiam episcopus ipse et non alius ab eo delegatus proferat: et pro modo culpæ, atque omnibus attentis circumstantiis, cæteras quoque pœnas reo irroget, quæ in supradictis pontificiis constitutionibus decernuntur. Præterea si reus in judicio crimen confessus fuerit, congruam debet emitte abjuramentum, ut se ita purget ab ea, quam incurrit, hæresis suspicione: et hæc quoque pœna in ipsa sententia mulctetur. Notandum est pœnas hujusmodi omnes et ipsam inhabilitatem ad sacrosanctum missæ sacrificium celebrandum, in decreto Benedicti XIV die 5 augusti ann. 1745 præscriptam, esse tantum ferendæ sententiæ. Abstinentium tamen erit ab infligenda degradatione et traditione brachio sæculari. Id nimirum a Gregorio XV statutum fuit: cæterum ad terrorem potius impositum haberi debet quam ut executioni mandetur (Albit. op. cit., cap. xv, n. 13, et Benedict. XIV, in privata epistola, die 11 novembris anno 1743 data ad Emmanuelem de Azevedo S. J. presbyterum.)

» 13. Qui nullis omnino super hoc crimine præventi denuntiationibus, conscientia victi, ordinario loci ejusve delegato se sistunt, patrata a se sollicitationis flagitia sponte confitentur et veniam petunt, dimitti debent cum congrua abjuramentum et pœnitentiis duntaxat salutaribus, adjecto consilio vel præcepto, ut ab excipiendis personarum sollicitatarum sacris confessionibus se absteineant: nec cæteris pœnis antea dictis, accedentibus licet postmodum denuntiationibus, afficiantur. Qui vero judiciaria forma jam præventi, sed nondum citati, sua sponte se sistunt; et ii pariter, quos veritatem non integram sed diminutam in spontanea apparitione confessos esse ordinarius loci ex acceptis postea denuntiationibus deprehenderit, beneficio impunitatis non gaudent, verumtamen pro ipsius ordinarii prudentia mitius puniantur.

» 14. Quod in hisce causis vel ex commissione apostolicæ vel ex jure episcoporum proprio tractandis majorem in modum curari et observari debet illud est, ut eadem causæ utpote ad fidem atinentes secretissime peragantur, et postquam fuerint definitæ et executioni jam traditæ, perpetuo si-

lento omnino premantur. Omnes curiæ ecclesiastici administrati, et quicumque alii, ad has pertractandas vel patroni ad defendendas causas assumuntur, jusjurandum de secreto servando debent emittere, et ipsi episcopi aliique locorum ordinarii ad servandum secretum obstringuntur, prout in jure cautum est cap. Statuta fin. De hæret. in 6, et in Clementina *Multorum* § *Porro, De hæreticis*. Qui vero denuntiationis oneri satisfaciunt, quique in hisce causis examini subjiciuntur, juramentum ab initio de veritate dicenda, et, actu expleto, de secreto servando, tactis sacrosanctis Dei evangelii, etiamsi sint sacerdotes, præstare tenentur. Hæc si caute, sancteque teneantur, nullum invidiæ infamiæque vel aliud quodvis periculum timeri potest, quod vel testes a dicenda veritate, vel competentes judices ab investigando et condignis pœnis animadvertendo sollicitationis crimine contineat.

» 15. Indultum fuit a Pio VI in instructione, de qua antea dictum est, anno 1775, ad vicarium Apostolicum Cocincinæ data, ut cum difficillimum sit in illis tam dissitis ac disparatis regionibus ea omnia adamussim servare, quæ in hisce causis servanda sunt; et cum, si aliqua ex his omittantur, justitia non patiat ut pœnæ infligantur adversus reos de quorum crimine judiciaria ratione adhuc sufficienter non constat, tunc consultius fortasse esset si extra judicii ordinem procedatur ad occurrendum tanto malo mediis et modis magis facilibus et expeditis, quos in casibus particularibus vicarii apostolici prudentia cum animarum zelo conjuncta suggeret. Jam vero quisque videt hanc indulgentiam pro locis adeo dissitis ac disparatis factam neque omnibus esse communem, neque absque Apostolicæ Sedis auctoritate jure posse ubivis induci.

» 16. Cæterum, si locorum ordinarii in confiendis processibus, vel etiam, confecto processu, in proferenda sententia contra sollicitantes ad turpia in confessione gravioribus involvantur difficultatibus, rem, transmissis actis, deferre poterunt ad hanc supremam Congregationem, quæ peculiare instructiones singulis casibus accommodatas, aut sæpe fit, tradet, ac definitivam sententiam, si expediens fuerit, ipsa proferet.

Hæc sunt quæ ad prædictam pontificiam constitutionem caute recteque exequendam conducunt, quæque, utpote ubique locorum observatu facilia, Sacra hæc Congregatio supremæ et universalis Inquisitionis pastoralis ordinariorum zelo ac sollicitudini vehementer commendat.

» Datum Romæ, die 20 februarii an. 1867.

» *Modus quo recipi debent denuntiationes in re ad sollicitationem spectante ab iis, qui ad denuntiationem aliquam absque interventu notarii recipiendam delegantur.*

» Die mensis anni.

» Sponte personaliter comparuit coram me infra scripto, sistente in (notabit locum, ubi reperitur ad actum recipiendum) ad hunc actum tantum ab illustrissimo et Reverendissimo N. specialiter delegato,

prout ex ejusdem ordinarii litteris mihi directis et datis sub die (exprimet quo die ipsi scriptæ fuerint litteræ) presenti positioni alligandis, NN. (scribet nomen, cognomen, patrem, patriam, ætatem, conditionem et habitationem personæ denuntiantis; et si hæc religiosa fuerit, exprimet etiam nomen, quo ea vocabatur in sæculo. Deinde prosequetur) cui delato juramento veritatis dicendæ, quod præstitit, tactis SS. Dei Evangeliiis (quæ manu tangere faciet), exposuit prout infra, videlicet:

» *Hic persona denuntians vernaculo sermone declarare debet se scire obtentam esse ab ordinario loci facultatem recipiendi, absque interventu notarii, quod ad suam conscientiam exonerandam expositura est, propterea, quia justis de causis eidem reverendissimo antistiti se sistere nequit: deinde narrare continuo debet quæ ad sollicitationes ei factas attinent seu verba fuerint, seu scripta, seu actus, accurate describendo locum, tempus, occasionem, vices et singula adjuncta, necnon utrum in actu confessionis, an prius vel post sacramentalem absolutionem ea evenerint. Nominare debet confessionalem sedem et ipsum confessarium sollicitantem, et quatenus hujus nomen et cognomen aut ignoret, aut oblita fuerit, describet accurate illius personam, omnes distincte characteres notando, ita ut ille recognosci possit. Animadvertat delegatus non esse interrogandam personam denuntiantem utrum consensum ad actum turpem quocumque modo præstiterit vel recusaverit, cum ipsa ad suos defectus manifestandos non teneatur. Hisce scriptis prout narratur, delegatus quæ sequuntur, neque aliud præterea quidpiam, requiret.*

» Interrogata: An sciat, vel dici audierit, dictum NN. (nominando personam) confessarium sollicitasse alias pœnitentes ad turpia? et quatenus, etc.

» Respondit: (Notabit responsionem, et si hæc affirmativa fuerit, nomen et cognomen personarum sollicitatarum exquiret, et causam scientiæ).

» Interrogata de fama supradicti confessarii NN. tam apud se, quam apud alios? et quatenus, etc.

» Respondit: (Responsionem exscribet).

» Interrogata: An odio vel amore præfata deposuerit, et super inimicitia, aliisque generalibus, etc., et quatenus, etc.

» Respondit: Recte (si ad propriam conscientiam exonerandam denuntiasse se dicet).

» Si a sollicitatione plus uno mense præterlapsum fuerit, erit etiam interroganda.

» Interrogata: Cur tardius distulerit præfata denuntiare proprio ordinario, et conscientiam suam exonerare?

» Respondit: (Notabit responsionem).

» Actus claudatur hæc ratione:

» Quibus habitis et acceptatis, etc., dimissus (vel dimissa) fuit juratus (vel jurata) de silentio servando ad novum factum SS. Dei Evangeliorum (super Evangelium iterum jurabit): et in confirmationem præmissorum se subscripsit (et si scribere nesciat) et cum scribere nesciret, prout asseruit, fecit signum crucis (crucis signum calam. facientium ab ea exiget).

» Postquam denuntians se subscripserit, aut crucis signum fecerit, subscribet se delegatus hoc modo :

» Acta sunt hæc per me NN., ab Illustrissimo et Reverendissimo Antistite NN. ut supra specialiter delegatum.

» Integrum deinde actum directe ad proprium ordinarium delegantem transmittet una cum instructione et litteris acceptis, nihil omnino apud se retinendo. »

Notandum quod, ex n. 13 præcedentis instructionis, ordinarii locorum, in prædicta materia sollicitationis per censuras ex informata conscientia latas procedere non possint.

ADNOTATIO XXIX.

Lib. V. Decretal. Tit. XVII, De Raptoribus, incendiariis et violatoribus ecclesiarum, § II, n. 45, pag. 410.

DE HIS QUI AUFERUNT ET RETINENT APUD SE HOSTIAS CONSECRATAS.

« Ex constitutione Benedicti XIV, *Sub augustissimo*, 3 martii 1744, surripientes, asportantes, aut apud se retinentes hostias vel particulas consecratas, sæculari curiæ tradendi sunt, prævia degradatione si sint ecclesiastici; etiamsi, juxta constit. Innocentii XI, quarto idus martii 1676, hoc scelus pro prima vice perpetraverint et minores sint annis quinque et viginti, dummodo viginti attigerint; rejectis exceptionibus a reis dari solitis, vel quod non satis constet de eorumdem particularum consecratione, vel quod non fuerint subreptæ, asportatæ vel respective retentæ ad malum finem: quarum exceptionum claram et concludentem probationem ad eosdem reos, et non ad fiscum, spectare decernitur. » (Giraldus, *Exposit. jur. pontif.* part. I, sect. 838.)

ADNOTATIO XXX.

Lib. V. Decretal. Tit. XVIII, De furtis, § I, n. 28, pag. 414.

DE COLLIGENTIBUS SPICAS.

« Notandum non esse accensendos inter fures pauperes colligentes spicas post messem, etiam invitis prædiorum dominis. Imo nec ab iis prohiberi possunt quin illas colligant, ut ex constitutione Benedicti XIV, *Ex commisso*, 18 maii 1751 edita pro tota ditione ecclesiastica, in qua præcipitur quod prædiorum dominis, facta frugum collectione, spicas, vel solo dispersas vel a messoribus præteritas, pauperibus colligere minime impediant, sequentibus sub conditionibus :

« I. Ut non liceat culpam se in prædium conferre in quo actu metitur, solummodo tamen postquam spicarum acervi sublatis fuerint.

» II. Facta vero hujusmodi translatione, fas uti-

que sit pauperibus, ut supra dictum fuit, spicas in solo relictas spatio decem dierum colligere, quo tempore nequeant domini in proprios agros boves, vel alia quæcumque animalia, ad pascendum, immittere.

» III. Hoc decem dierum spatio præterito, domini vel spicarum emptores quæcumque voluerint animalia, secundum ipsorum conventionum formam, possint in prædium immittere.

» IV. Sub hac autem dispositione omnia latifundia, possessiones, agri seu prædia, in quibus colligatur frumentum, etiam ad cameram apostolicam, ecclesias, monasteria, religiones, cardinales, episcopos, capitula spectantia, nemine excepto, comprehenduntur. » (Giraldus, *Exposit. jur. pontif.* part. I, sect. 843.)

ADNOTATIO XXXI.

Lib. V. Decretal. Tit. XIX, De Usuris, § II, n. 15, pag. 422.

PROPOSITIONES CIRCA USURAM PROSCRIPTÆ.

Ab Alexandro VII, sub die 18 martii 1666 proscripta fuit propositio sequens :

« XLII. Licitum est mutuanti aliquid ultra sortem exigere si se obliget ad non repetendam sortem usque ad certum tempus. »

Item ab Innocentio XI sequentes :

« XL. Contractus mobatra licitus est, etiam respectu ejusdem personæ, et cum contractu retrovenditionis præviæ inito cum intentione lucri.

» XLI. Cum numerata pecunia pretiosior sit numeranda, et nullus sit qui non majoris faciat pecuniam præsentem quam futuram, potest creditor aliquid ultra sortem a mutuuario exigere, et eo titulo ab usura excusari.

» XLII. Usura non est dum ultra sortem aliquid exigitur tanquam ex benevolentia et gratitudine debitum, sed solum si exigatur tanquam ex justitia debitum. »

Circa venditionem mercium, dilata solutione pretii, attendenda est instructio exarata a Benedicto XIV, dum esset a secretis congregationis concilii, italico sermone impressa in folio ejusdem congreg. habitæ sub. die 23 februar. 1726, *The-saur. resolut.* Tom. III, pag. 285, et apud Giraldum, *Exposit. jur. pontif.* part. I, sect. 847.

Cf. Adnotationem XXXIV, infra.

ADNOTATIO XXXII.

Lib. V. Decretal. Tit. XIX, § III, n. 64; pag. 431.

VARIA RESPONSA S. PŒNITENTIARIÆ CIRCA MUTUUM.

Recentiora Sacræ Pœnitentiariæ responsa de mutuo videre est simul collecta, et propria authenticitate donata, in opusculo Taurini edito cura

illius metropolitæ, 5 febr. 1833, cui titulus : *Sanctæ Apostolicæ Sedis responsa circa lucrum ex mutuo ab anno 1822 ad febr. 1833*; typis Marietti.

Quoad illa responsa, Petrus Scavini, *Theol. mor. univ.* edit. quarta Paris. Lecoffre, 1863, tom. II, p. 536, sic loquitur : « Verum frustra adducta argumenta (circa lucrum ex mutuo in lege civili; fundatum) controversiam dirimere valent, cum adhuc desideretur supremum Ecclesiæ judicium, et rationes adhuc multæ sint ex utraque parte. Unde sat erit regulam tradere, qua et fideles in conscientia et confessarii in tribunali Pœnitentiæ se gerere debeant. Nempe ad fideles quod attinet: qui capitalia aliis tradunt, ut ex illis percipiant juxta taxam legis civilis, dicimus ipsos « non esse inquietandos, neque cogendos ad restitutionem fructuum perceptorum, neque in » foro Pœnitentiæ absolute sacramentali idcirco » esse privandos, si tamen sint in bona fide et » verò parati stare mandatis et definitionibus » Sanctæ Sedis, si quando edantur. »

« Quod pertinet ad confessarios dicimus : « 1. » Non esse inquietandos neque absolute privandos presbyteros illos, qui contendunt legem » principis esse titulum sufficientem percipiendi » aliquid ultra sortem, absque titulo vel lucri » cessantis vel damni emergentis, quousque » Sancta Sedes definitivam decisionem emisit, » cui parati sint se subicere. » 2. Non esse inquietandos confessarios qui pœnitentes lucrum eodem modo percipientes absolvunt, si isti objicientes sententiam lucro faventem non fuisse damnatam a Sancta Sede « promittant se obedire judicio » Summi Pontificis, si illud aliquando interdicat. »

« Hæc responsio nostra, pergit prælaudatus Scavini, continet summam decretorum, quæ a Sancta Sede, organo Pœnitentiariæ ac supræ congregationis Sancti Officii edita sunt. Cum vero prima conditio in allatis decretis sit bona fides, et hæc non parum adhuc in quorundam opinione faceretur difficultatem, ad eam penitus de medio tollendam atque ad alia præoccupanda dubia, quæ a scholasticorum subtilitate possent excogitari, illustr. et reverendiss. DD. Galvano, episcopus Nicænsis, hanc iterum questionem S. Congregationi, anno 1837, sapientissime proposuit : « An » pœnitentes qui moderatum lucrum, solo legis titulo ex mutuo, dubia vel male fide perceperunt » absolvi sacramentaliter possint, nullo imposito » restitutionis onere, modo de patrato ob dubiam » vel malam fidem peccato sincere doleant et fiali obedientia parati sint stare mandatis Sanctæ Sedis? — Die 17 januar. 1838 responsum fuit : » Affirmative, dummodo parati sint stare mandatis Sanctæ Sedis. »

« Quæ responsiones, animadvertit idem Scavini duo respiciunt : 1. Lucrum moderatum (ut erat in vigore cum ille date sunt); si enim lex civilis nimis exorbitaret in lucro stabilendo, adeo ut manifestam injustitiam includeret, certo non suf-

fragarentur responsiones laudatæ; 2. Ipsam taxam legis; unde si lex civilis liberam cuique relinqueret taxam definiendam, non liceret in conscientia illam exigere (si superaret taxam legalem ab Ecclesia permissam), nisi quatenus adesset justus titulus ad normam juris naturalis atque divini, id est, titulus damni emergentis, lucri cessantis, etc. Si enim libera hominum conventio faceret jus, actum esset de omni justitia; unde tunc dicendum est: quod lex civilis tolerat, lex naturalis, divina et ecclesiastica prohibet. V. *Civiltà cattolica*, ser. III, vol. 6. « *Guerra dei capitalisti contro la proprietà*; et vol. 10 : *Un avvocato dell' usura*. »

Cf. Apud eundem Scavini, inter Adnotationes tomi secundi, Adnotationes V et X, pag. 617 et 619 ejusd. editionis Parisiensis.

ADNOTATIO XXXIII.

Lib. V. Decretal. Tit. XIX, § IV, n. 77; pag. 434.

DE PERICULO SORTIS IN MUTUO.

Giraldus, *Exposit. jur. pontif.* part. I, sect. 849, refert decretum S. Congreg. Sancti Officii, Romæ typis editum anno 1645, cujus tenor sequitur :

« In regno Sinarum lege stabilitum est ut in mutuo triginta pro centum accipiantur, absque respectu lucri cessantis aut damni emergentis. Quæritur utrum Chinensibus sit licitum, pro pecuniarum suarum mutuo, licet non interveniat lucrum cessans aut damnum emergens, prædictam pro centum triginta quantitatem, regni lege taxatam, accipere; et causa dubitationis est quia in recuperanda pecunia est aliquid periculum scilicet, quod qui accipit mutuum fugiat, vel quod tardet in solvendo, vel quod necessarium sit coram iudice illud repetere, vel propter alia hujusmodi.

» Censuerunt EE. PP. ratione mutui immediate et præcise nihil esse accipiendum ultra sortem principalem. Si vero aliquid accipiant ratione periculi probabiliter imminenti, prout in casu, non esse inquietandos, dummodo habeatur ratio qualitatis periculi et probabilitatis ejusdem, ac servata proportione inter periculum et id quod accipitur. »

Item sacra Congr. de Propaganda fide præcedens responsum approbavit die 12 sept. 1645, et eadem congregatione supplicante, Innocentius X, ad servandam uniformitatem, omnibus et singulis missionariis in regnis Sinarum aut Chinæ pro tempore existentibus vel extituris, sub pœna excommunicationis latæ sententiæ Sanctæ Sedi reservatæ, præcipiendo mandavit quatenus præfatum responsum et alias resolutiones adnexas diligenter observent, illisque in praxi utantur ac ab aliis, ad quos pertinebit, illas observari et practicari faciant, donec Sanctitas Sua vel Sancta Sedes Apostolica aliud ordinaverit. »